



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & Amos nos disp. 1.
- 3 Arieſtos brevis de ſarce phyſicaluſu ni diſtinctis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de Ora. Actu tum ſpora tum officio. Hofmann.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. aſſeret de p̄ntay & multa
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{deu p̄ licoem} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs Dei & Voluntatis ipſius Hofmanni
- 8 Drey Vnterſchiedli ſchreiben an d. Conſistorium zu
Leipzig, Aug. alſoſſig, Sub Exorcismi
M. Georſij Lyſtarij.

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XXIIII
DE CAUSA PECCATI.

Ex Articulo XIX. Confessionis Augustanae.

ad cujus positiones

DEO. OPT. MAX. Auxiliante

Sub Praesidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theologiae Doctoris, & Professoris publici;

Respondebit

CHRISTOPHORUS HOSERUS
Augustanus.

Mense Majo, horis locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno clb lb XCVIII.



VIRIS

PIETATIS EXIMIÆ,
PRVDENTIÆ INSIGNIS, HVMA-
NITATIS ADMIRANDÆ, CÆTERARVM
que virtutum præstantissimarum nomine
maximè conspicuis:

*Dn. CHRISTOPHORO CHRISTELIO,
Dn. GEORGIO TRIEBIO,*

*Civibus & mercatoribus Augustanis primarijs,
Dominis affnibus Charissimis, exercitium hoc
Theologicum debitæ gratitudinis & obs
servantiæ ergò offert &
dedicat,*

CHRISTOPHORVS HOSERVS
Augustanus.

DE CAUSA PECCATI.

Thesis I.

DE Manichæis refert D. Augustinus, quòd L. 1. Retra-
voluntatis humanæ libertatem, etiam quoad actio- stat. c. 9.
nes malas & peccata, ita externo quodam princi- l. de fide
pio alligatam esse statuerint, ut homines non ex cont. Ma-
voluntatis suæ libertate: sed à contraria quapiam nich. c. 8.
& inimicâ substantiâ coacti peccent.

II.

Et profectò ita humanitùs comparatum est, ut nemo non
causam peccati à se amoliri, inque aliud principium eam trans-
ferendo, velocior esse soleat ad excusationem, quàm ad confes-
sionem peccatorum suorum; ut idem Augustinus præclare dicit.
lib. 3, de libero arbitrio, cap. 2.

III.

Exemplo esse potest tristissimus Protoplastorum lapsus:
Adamo quidem causam & culpam violati mandati divini, in
mulierem, imò in *Deum* ipsum, quippe qui talem sibi vitæ soci-
am adjunxerit: Muliere verò in serpentem transferente. Gen, 3,
12. & 13.

IV.

Hoc pensî habentes Confessores nostri, tractationi de li-
bertate voluntatis humanæ; Quæstionem de causa peccati or-
dine convenientissimo, subjunxerunt: ne videlicet, negantes li-
bertatem voluntatis in rebus merè spiritualibus, eandem in ma-
lis quoq; actionibus & peccatis perpetrandis negare, videri
queant.

V.

Passus est autem hic etiam Articulus mutationis virgulam
censoriam, clementiorem illam quidem: sed nihil σοφώτερον
habentem. Quare in prototypi simplicitate meritò acquiesci-
mus.

VI.

Calumniatur quidem Fabritius, Leodius ille, mutationem
hanc ὑπερλόνην fovere, ac blasphemam illam opinionem tacitè Harm.
approbare, quæ sceleratissima quæque facta, necessitati adscri- Fabr. pag.
bit, & in *Deum*, qui hoc etiam velit, refert. Sed nemo non ma- 295.
nifestam hanc esse injuriam, ex mero maledicendi studio profe-
ctam, qui modò ἀνευ προσήματος verba mutatae editionis expen-
dit, facile animadvertit.

VII.

Ex quo fonte illam etiam accusationem, qua idem rabula Fabritius, ex loco quodam Commentarij in Epistolam ad Romanos, Philippum Melanchtonem, ejusdem blasphemiae reum peragere conatur, profectam esse, habemus persuasissimum.

VIII.

Cæterum nihil controversiæ quoad hunc Articulum intercessit nostris Ecclesijs cum cohorte Pontificia: id quod Iohannes etiam à Daventriâ, & Cochlæus fatentur, quorum ille sic scribit: *Una omnium sententiâ hic Articulus, ut & duo præcedentes est receptus. Et omni vacat periculo.* IX.

Vnde etiam factum, ut hic Articulus justæ duntaxat ἀπολογίας vicem sustinere videatur, oppositus eorum criminationibus, qui Libertinorum hæresin Ecclesijs nostris imputare haud dubitarunt.

X.

Ex qua eadem causa ὁμοιομεγεία etiam, & solius θέσεως tractatio, neglectâ ἀντιθέσε, Articulo isti obtigit: Quæ partim falsas peccati causas removet; partim veras ponit.

Questionis de causa peccati decisio

ἀφαιρετικὴ ἢ σεργικὴ.

XI.

Disputarunt omnibus temporibus non Theologi modo, sed & Philosophi de peccati causa: & hi quidem partim in materiæ ipsius qualitate, partim in causa prima, sive fatali rerum omnium principio eam collocarunt: partim deniq; ad voluntatis etiam humanæ vitium & depravationē eandem retulerunt: eo potissimum moti argumento: quòd viderent plurima mala esse ἀυτόσπασα, quæ libera voluntate, sine ulla coactione homines sibi accersant.

XII.

Et si verò quoad hanc postremam peccati causam haud ita procul à vero sunt alieni, rem tamen prorsus imperfectè explicarunt, & veras ac primas malorum causas rationis suæ indagine nunquam sunt assecuti: ignorantes nimirum & lapsus Adamici & inde enatæ corruptionis qualitatem, quæ ex sola doctrinâ Ecclesiæ propria cognosci potest. XIII.

Hujus igitur præscriptum securæ nostræ Ecclesiæ, de causa peccati docent, quòd tametsi Deus creat & conservat naturam, causa
samen

tamen peccati sit voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum,
quæ non adjuvante DEO, avertit se à DEO, sicut Christus ait, Job. 8,
44. Cum loquitur mendacium, ex seipso loquitur.

XIV.

Ex hac generali Confessione quoad remotionem falsæ cau-
sæ illud elicitur, quòd Deus non est autor vel causa peccati: qui
Aphorismus adeò est αὐτόπιστος, & indubitatus: imò omnium
hominum naturæ ita quasi ingeneratus: ut id ipsum saniores eti-
am Philosophi fidenter asseuerent.

XV.

Notum est, quid Plato olim sanciverit, nempe omni stu- Plato l. 2.
dio providendum esse, ne quis in civitate, quæ benè regi debeat, πολιτεία
vel dicat, vel audiât, sive senex, sive juvenis, sive in poëmate,
sive in alia narratione, Deum causam alicui esse malorum: Siqui-
dem hoc nequè sanctè ita dici possit, neque utile sit civitati, neq;
secum in explicatione consentiat.

XVI.

Peccati autem termino in hac disputatione non Originale
duntaxat, sed & Actuale peccatum, & quicquid sub utriusque
hujus ambitum & complexum venit, notatur ac intelligitur: &
ab ejus causâ, Deus in universum eximitur.

XVII.

Excipitur tamen ab hac assertionem singularis illa DEI actio,
quando ille justo judicio peccata peccatis quandoque punit: ubi
peccatum sequens, pœna est peccati præcedentis.

XVIII.

Id quod fit, non infundendo novam malitiam, aut impel-
lendo ad peccandum: Sed subtrahendo gratiam & spiritum:
Quo sublato, error, tenebræ, peccata sponte sua, quasi agmine
facto iagruunt.

XIX.

Hoc igitur casu, peccati non quidem quatenus peccatum,
sed quatenus peccati pœna est, causam ad Deum referre, ipsis scri-
pturarum jubemur oraculis. Amos 3, 6. Is. 45, 7.

XX.

Nihil verò hoc ad peccati, ut peccati, causam efficientem,
impellentem, creantem, inclinantem, approbantem: qualis
Deus esse, sine summo impietatis & blasphemiae scelere, dici aut
cogitari nequit.

A 3

Moses

XXI.

Moses enim elogium illud, quo omnia, quæ *Deus* creavit, valdè bona fuisse pronunciat, non in genere duntaxat ad res creatas: sed in specie ad ipsum etiam hominem accommodat. Genes. 1, 31. Et Psaltes inquit: Non *Deus* volens iniquitatem, tu es. Psalm. 5, 5. Imò apud Ezechielem religiosissima attestatio-
ne asseverat Dominus: vivo ego, nolo mortem peccatoris. Ie-
zech. 33, 11. Et clamat apud Hoseam: Perditio tua ex te Israël.
Hos. 13, 9.

XXII.

Hinc generales illi in scripturis Aphorismi enati: Sap. 2, 23. Creavit *Deus* hominem ad imaginem similitudinis suæ: Invidiâ autem Diaboli mors introivit in mundum. 1. Ioh. 2, 8. Qui facit peccatum ex Diabolo est. Ecclesiastici 15, 21. Nemini mandavit *Deus* impiè agere & v. 11. Ne dixeris, per *Deum* factum est, ut de-
ficerem,

XXIII.

Et qui quæso *Deus* peccati autor & causa dici posset, cum passim in scripturis illud se odisse, averfari, detestari, punire gra-
viter attestetur: & maledictionis fulmen stringat in peccatum: & horrendis supplicijs, ut Diluvij, Incendij Sodomæ, Excidij Hierosolymitani, illud vindicavit. Deut. 27, 26. Levit. 26, 14. Gal. 3, 10. Genes. 8. & 19. Luc. 19, 41. & seqq.

XXIV.

Nefas igitur fuerit, uti D. Augustinus infert, DEO ad-
scribere peccatorum causas: et si enim ex æterna scientia præco-
gnitum habet, quid vniuscujusq; meritis retributurus sit, nemi-
ni tamen per hoc, quod falsi non potest, aut necessitatem aut vo-
luntatem attulit delinquendi. Quod si igitur à justitiâ & pietate
quis deficit, suo in præceptis fertur arbitrio, sua concupiscentiâ
trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius,
nihil Spiritus Sanctus, nec in tali negotio quicquam voluntatis
divinæ intervenit, cujus opè scimus multos, ne laberentur, de-
tentos; nullos ut laberentur impulsos, Artic. 13. eorum qui falso
sibi impositi.

XXV.

Execranda igitur blasphemia Libertinorum, *Deum* peccati
autorem sonora voce constituentium: & his succenturiantium
hodiè Sacramentariorum sive Calvinistarum, qui tristissimum
protopla-

protoplastorum lapsum, & universam, quæ inde est subsecuta, malorum illiada, non ratione pœnæ, sed culpæ, ad absolutum & æternum D E I decretum, ac efficacem ejus operationem, & voluntatem immutabilem referre non erubescunt.

XXVI.

Hæc enim ipsorum sunt Emblemata: *Calvini*: Protoplastos D E I providentiâ sic ordinante lapsos: & ad damnationis causam (peccatum) D E I Ordinatione prædestinatos esse. l. 3. Instit. cap. 23. § 4. & 8. & cap. 21, § 7.

XXVII.

Beza: Deum non tantum ad damnationem: Sed etiam ad causas damnationis, (quæ profectò ipsorum etiam Adversariorum Confessione est peccatum) prædestinasse quoscunque voluerit. Vol. 1. Tractat. Theol. pag. 417.

XXVIII.

De æternæ mortis ac damnationis causa prima sic differit Calvinus, in Comment. super cap. 3. Genes. Vnde factum est, ut tot gentes unâ cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret *Lapsus* absque remedio, nisi *Quia DEO ita visum est? Decretum quidem horribile*; fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit *Deus*, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: & aded præsciverit, quia decreto suo sic ordinârat.

XXIX.

Petrus Martyr, in Epistol. ad Rom. Non possumus inficiari, Deum quoquo modo esse *Causam* peccati, sive, consideremus actionem, quæ naturalis est, sive gratiæ ac virium subductionem &c. Et pag. 38. disertè scribit: *Deum velle, inclinare & impellere voluntates hominum ad gravia peccata.*

XXX.

Sed exhorrescat cœlum & stupefiant elementa ad tam horrenda blasphemiarum portenta, quorum ne externum quidem sonum quisquam pius, quin totus contremiscat, sustinere: nedum ijs ex corde assentiri potest.

XXXI.

Produeunt quidem blasphemiarum istarum architecti & patroni, magno numero coacervata scripturarum testimonia, quæ *Deum* mali autorem & effectorem constituunt.

32. Sed

XXXII.

Sed non attendunt introduci in ijs *Deum* tanquam iustum iudicem præcedentia peccata iustè vindicantem : ac proinde Mali distinctionem observandam, quâ aliud pœnæ, aliud culpæ, rectissimè ex vnanimi Ecclesiæ consentu constituitur : vbi malorum pœnæ autorem *Deum* esse, nemo nostrum negabit.

XXXIII.

Agnovit hoc discrimen olim etiam D. Augustinus, sic præclare disputans lib. I. de libero arbitrio cap. I. Dic mihi, quæso te, utrum *Deus* non sit autor mali? Respondet Augustinus : Dicam, si planum feceris, de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malum : vno, cum malè quendam fecisse dicimus : alio, cum mali aliquid esse perpeffum. Iam, si *Deum* bonum esse nosti, vel credis, (neque aliter fas est) malum non facit. Rursus, si *Deum* iustum fatemur, (nam & hoc negare sacrilegum est) ut bonis præmia, ita supplicia malis tribuit, quæ utique supplicia, patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo injustè pœnas luit, quod necessum est credamus, quandoquidem divinâ providentiâ hoc universum regi credimus : illius primi generis malorum nullo modo, hujus autem secundi autor est *Deus*.

XXXIV.

Producunt verò & alia scripturarum testimonia, quibus *Deus* excæcare, indurare, tradere in sensum reprobum, decipere &c. dicitur.

XXXV.

Verùm in dictis istis explicandis, præcipuè attendendum, quid analogia fidei patiatur : & quoniam dictorum istorum ἔκτυπον sive literæ proprietates, universæ scripturæ sacræ, & Articulis fidei litteram intendit : ideo à literâ ad διάνοιαν, à dicto ad ἀναλογίαν fidei erit discedendum.

XXXVI.

Cujus axiomatis memores plerique Theologi, phrasas istas συγχωρητικῶς permissivè de DEO fuerunt interpretati : permissionem intelligentes non talem, quæ vel ex una parte approbationem peccati, vel ex altera parte incuriam & negligentiam rerum humanarum importet : quales συγχωρητικῶς & permissiones Tyrannorum, & negligentium dominorum esse solent : Sed quæ duntaxat causæ efficientis, operantis, adjuvantis, impellentis suspicionem à DEO amoliat. Quæ

XXXVII.

Quæ pietas ac modestia uti summoperè commendanda, ita nihil obstat, quominus freti S. literarum autoritate, permissioni huic aliquid præterea adijciamus, quod nec voluntatis DEI simplicis & absolutæ, nec etiam noluntatis, (ut sic loquamur) simplicis rationem habeat: & nec actionem DEI propriam, nec etiam nudam duntaxat permissionem efficiat.

XXXVIII.

Permissio enim in DEO, non ut in hominibus, voluntatem eius omnimodè excludit, sed cum eadem potius voluntas DEI, licet non efficax & operosa quoâd malum, efficax tamen quoâd determinationē finis, semper concurrat: alioqui enim *Deus* aliquid nolens permittere, statuendus foret, quod est absurdum & impium.

XXXIX.

Rursus ubi voluntas DEI concurrat, ibi actio etiam aliqua DEI simul concurrat, Voluntas enim DEI non in imaginatione sive cogitatione nuda consistit, sed ut Psalmus habet quicquid vult *Deus*, id etiam facit. Psal. II, 10.

XL.

Vnde consequens, nec eorum etiam interpretationem per omnia satisfacere, quæ loca illa scripturarum de Induratione, Excæcatione, Deceptione, duntaxat per negationem & subtractionem gratiæ atq; Spiritus exponunt: ut *Deus* tunc plenè indurare & excæcare dicatur, quando suam subtrahit gratiam & Spiritum Sanctum.

XL I.

Hac enim ratione omnes impenitentes & in peccatis mortui, quibus certè *Deus* suam subtrahit gratiam, excæcati atq; indurati à DEO, dicendi essent,

XL II.

Testatur autem scriptura singulare hoc esse pœnarum & suppliciorum genus, non indilcretè omnes impios, sed in specie quosdam duntaxat respiciens, quo peculiari iræ atque vindictæ suæ exemplo eos *Deus* punire soleat.

XL III.

Iam verò extra omnem Controversiam est & illud, apud pios quovis positum, *Deum* propriè neq; excæcare, neq; indurare, neq; decipere: Quæ tamen de eo in scripturis, quoad literam, prædicantur.

XL IV.

Stabit igitur firmum ac ratum illud, præter συχώρισιν sive permissionem illam, tribui ista DEO in scripturis impropriè atq; figuratè, triplici potissimùm respectu.

B

45. Et

XLV.

Et primum quidem, cum sublata DE I gratia, Spiritu & lumine, statim ultrò & sponte sua ingruunt error, tenebræ, & peccata quævis atrocissima: tùm indurare, excæcare & errare facere dicitur *Deus*, quando suam non impertit gratiam.

XLVI.

Deinde, Quia ad judicia sua, quæ nunquam non sunt justissima, exequenda, ministro Satana utitur: tùm *Deus* ipse, quandoque facere dicitur, quod à Satana propriè patrat.

XLVII.

Exemplo esse potest historia Davidis: in qua 1. Paral. 21, 1. *Satanas* dicitur sterisse contra Israel, & incitasse Davidem, ut numeraret Israel: Quod ipsum 2. Samuel, 24, 1. DE O ipsi adscribitur, Quòd nimirum furor Domini commoverit Davidem ad numerandum populum.

XLVIII.

Sic 1. Reg. 22, 19. dicitur Dominus dedisse Spiritum mendacij in ore Prophetarum: id non aliter, quàm de facta Diabolo potestate à DE O accipi posse, testatur v. 22. ubi *Satanas* inquit: Ego decipiam: Ego egrediar, & ero Spiritus mendax in ore Prophetarum.

XLIX.

Tandem, sicut sol vnus idemq; naturâ existens, secundum diversas objectorum essentias alia liquefacit, alia indurat: Sic vnâ & eadem luce DE I fit, ut per occasionem excæcentur pravi impiorum oculi, quâ piorum animi illuminantur: non conferendo quidem illis cæcitatem aut duritiem, quæ prius aberat: sed eam potius, quæ inerat & in corde latebat, eliciendo.

L.

Patet inde diversitas locutionū quibus indurationis opus & DEO, & homini ipsi, & Satanæ in scripturis tribuitur.

LI.

Deus enim non impertiendo malitiam, sed ijs modis ac respectibus, de quibus nunc dictum, indurat eos, qui jam antè, non molles ac carni, hoc est, boni & pij, sed mali sunt & præfracti peccatores, inexpugnabili sua contumaciâ poenam hanc promeriti. 2. Thess. 2, 10. & 11.

LII.

Satan verò indurare dicitur & excæcare hominem impellendo, suadendo, & occasiones peccandi subministrando. 1. Paral. 21, 1.

LIII.

Homo deniq; seipsum indurat & excæcat, cupiditatibus suis, & Satanæ suggestionibus ac impulsibus, libenter & cupide obtemperando, se seq; à Deo propriâ voluntate avertendo. Atque

LIV.

Atq; ita, quemadmodum D. Augustinus in libro contra Faustum Manichæum piè scribit : Diabolus suggerit : Homo consentit : *Deus* deserit.

LV.

Cæterùm in Induratione, & excæcatione, quicquid Deo tribuitur, id non respectum habet ad ipsum vitium ἀραξίαν sive peccatum quatenus illud tale est : sed, ut ex jam dictis patet, ad determinationem sive ordinationem ipsius finis, & usus, qui semper est bonus, & Ecclesiæ salutæris.

LVI.

Quæritur autem hoc loco de ipso non tam Creationis, quàm conservationis opere : Quomodo circa actiones malas utrumque hoc occupetur.

LVII.

Et de Creationis quidem opere, res satis est expedita, quod nimirum omnia, quæcunq; *Deus* creavit, fuerint valde bona. Gen. 1, 31.

LVIII.

Verùm de Conservationis opere, quod Creationem, spacio illo ἕξαμηνέων finitam, excepit, pro diversitate objectorum, eorumq; tam bonorum quàm malorum, distinctè est respondendum.

LIX.

Respicit enim pars hæc providentiæ divinæ, partim gubernationem; partim Conservationem rerum & actionum quæ in hoc universo sunt ac fiunt omnium.

LX.

Et gubernationi quidem divinæ adscribimus res malas : Conservationi verò & gubernationi simul, res bonas.

LXI.

Res bonæ sunt vel substantiæ ipsæ, & creaturæ universæ, tam visibiles quàm invisibiles : vel vires, motus & actiones, rebus creatis insitæ.

LXII.

Quando igitur de mali & peccati causa, quæ vel ipsis substantijs, vel earum viribus inest, quæritur, accurate semper distinguendum fuerit inter subjectum ipsum, & inter vitium ac defectum, qui subjecto per accidens inhæret : & inter actum ipsum, sive agendi δύναμιν, & inter ἀραξίαν actui illi inhærentem.

LXIII.

Subjectum ipsum, quod est vel ipsa natura ac substantia : vel actio, sive motus naturæ inditus : est à DEO ipso, ac proinde in parte rerum bonarum collocandum.

LXIV.

Largitur enim *Deus* hodieq; motum & δύναμιν agendi, ac subministrat agendi principia, vires & organa; videlicet facultates illas animæ principes, mentem & voluntatem, cæterasq; animæ & corporis vires: alioquin enim ne ad momentum quidem homo subsistere posset. Act. 17, 28. & 25.

LXV.

Cæterum quoad defectum, vitiositatem sive ἀταξίαν: illa non à DEO, primo ac optimo rerum omnium conditore: Sed per accidens aliunde, ab homine nimirum corrupto, ejusq; perversa voluntate provenit: uti infra ostendemus, in decisione quæstionis hujus ΔΕΤΙΚΗ.

LXVI.

Exempli gratia: quod homicida aut latro aliquis extendit manum, stringit gladium, & percutit: hanc vim habet à DEO: Quod autem manū extendit ad objectum illicitum: stringit gladiū & vim infert alteri: hæc est ἀταξία & vitiositas motus, non DEO adscribenda, sed improbæ cupiditati homicidæ.

LXVII.

August. l. de perfect. just. Haud secus ac in claudicatione aliud est motus ipse ambulationis: aliud vitium claudicationis: & utrumq; à suo proprio, ac à se mutuo diverso pendet principio.

LXVIII.

Obstrepat hic ratio humana, & quærit, quamobrem *Deus* sustinet & conservet naturam humanam, ac non potius eam tantoperè corruptam & vitiatam, ratione suæ justitiæ deleat.

LXIX.

At plus impietatis, quam rationis respicit hæc argutatio, DEO ipsi leges nefariè præscribens.

LXX.

Quo enim quæso jure deberet *Deus* statim in nihilum redigere, quod semel manus ipsius creavit: cum rationes supersint aliæ quibus vitiositatem & delicta naturæ vindicare queat?

LXXI.

Quid? quod hoc ipsum bonitas & μακροθυμία DEI nullatenus potest permittere: quippe quæ patienter ferendo vasa iræ, ad pœnitentiam ea invitare solet.

LXXII.

Quibus ita constitutis, *Deum Opt. Max.* ab omni causa peccati prorsus liberum ac immunem esse, concludimus.



LXXIII.

Cæterum è classe causarum peccati expungimus etiam **F A T V M**
ASTROLOGICVM, quo ex certa quadam siderum influentia, &
conjunctionum planetarum virtute, quæ vel cujusque conceptionem
& nativitatem, vel actiones alias incidunt: peccatorum causam elicere
nonnulli, sed minùs piè, conantur.

LXXIV.

Etsi enim non negamus esse quandam superiorum corporum cœlesti-
um in hæc inferiora efficaciam: ut quòd sol accessu suo calorem invehit,
siccitates causatur: quòd Luna refrigerat, & humores adauget: Quod
reliqua sidera suam partim in communi vita commodius instituenda,
partim verò in medicinâ rectiùs applicanda: partim deniquè & quidem
vel maximè in agricultura dexteriùs exercenda, utilitatem obtinent:
tamen eorum influentiam quempiam ad hoc vel illud peccatum incli-
nare: præter scripturarum autoritatem affirmari, & falsò credi statuis-
mus.

LXXV.

Testatur experientia, prædictiones Astrologicas, quæ de singu-
lorum propè anni dierum tempestatibus habentur esse incertissimas:
Quantò magis eæ, quæ fortunas hominum ex astrorum positu prædi-
cunt: vel mortem hujus vel illius Regis aut principis in individuo de-
nunciant: vel huic aut illi regioni & civitati in specie quippiam omi-
nantur: fabulosæ omninò & gerris siculis vaniores sunt censendæ.

LXXVI.

Quid quòd Spiritus Sanctus hujusmodi prædictiones omninò ut
impias & profanas rejicit ac improbat: Ies. 47, 13. Ier. 10, 2. & solus
Deus hanc scientiam de futuris cujusque eventibus suæ sapientiæ reser-
vavit. Ies. 41, 23.

LXXVII.

Ridet cum primis Genethliacorum istorum ineptias D. Augustinus
lib. ad simplicium. Q. 2. his verbis: Gemelli ex uno concubitu, diver-
sarum sunt naturarum. Dicant ergo Genethliaci, cur, cum una fuerit
conceptio, sub vno temporis puncto, sub eadem dispositione cœli & si-
derum, neq; diversa singulis annotari possit: cur inquam tanta in illis
gemellis fuerit diversitas. Hic prorsus nihil inveniunt, & facile animad-
vertunt, si volunt, responsa illa, quæ miseris venditant, nulla artis ex-
positione, sed fortuita suspicione proferri.

LXXVIII.

Et lib. 5. de civit. **DE I**, cap. 1. Quale iudicium de hominum factis

DEO relinquatur, quibus cœlestis necessitas adhibetur, cùm Dominus
ille sit & siderum & hominum.

Videatur hac de re cum primis B. Lutherus. Tom. 4. Ihen.
Germanico, fol. II, 6. Editione anni 1556.

LXXIX.

Damnata fuit impia hæc disciplina in Concilio Aquileiensi, cui in-
terfuit D. Ambrosius; item in Concilio Toletano; & Braçtarenfi; Item
in Iure Civili, l. 2. C. de malef. & Mathemat: sic rescribentibus Impp.
*Artem Geometriæ discere atq; exercere publicè interest, Ars autem Mathema-
tica (Astrologiam judiciariam intelligunt) damnabilis est, & interdicta
omnino.*

LXXX.

Quod verò patroni hujus φαινομένης scientiæ, experientiam nobis
ceu Achillis clypeum objiciant, qua eventum prædictionibus istis ple-
rumque respondisse ajunt: puerili admodum ludunt captione & sophis-
mate τὸ μὴ ἀτὶς ὡς ἀτὶς & τὸ συμβεβηκότος.

LXXXI.

Neque enim, quando eventus prædictioni respondet, ipsæ statim
etiam causæ prædictionis illius sunt certæ & infallibiles: & iisdem inni-
tendum: Prædixit Satanas aliquoties verum; num igitur ei credendum?

LXXXII.

Deinde quòd interdum eventus prædictionibus respondet, id sit
justo DEI judicio, in pœnam eorum, qui hisce artibus delectantur & ex
ijs rerum suarum & futurarum eventus meriuntur: ut illud ijs accidat,
quod dicitur provetb. 10, 24. Quod metuit impius, hoc etiam ipsi eve-
nit. & Ies. 66, 4. Quæ timebant, ego adducam super eos.

LXXXIII.

Cujus rei Exemplum scriptura ob oculos nobis constituit in Sa-
maritanis, qui Simoni Mago, eò quòd multis temporibus magicæ suæ
artis experientiam probatam fecerat, adhærebant. Act. 8, 9, 10. & 11.

*Questionis controversæ decisio θετικῆ, veras peccati
causas definiens.*

LXXXIV.

Veram ac propriam peccati causam, Articulus noster, constituit,
voluntatem malorum, Diaboli videlicet & impiorum.

LXXXV.

Geminam nimirum causam, sed utramq; veram ac propriam, licet
vnam remotiorem & externam, Diabolum videlicet: propinquiorem
& internam alteram, ipsam nimirum hominis voluntatem, definiens.

86. Et si

LXXXVI.

Et si enim Originalis peccati respectu, peccatorum omnium causa prima est Diabolus, quatenus ille ad peccandum protoplastos incitavit, & hanc subsecutorum malorum Iliada in nos derivavit: tamen quo ad actualia peccata, verior & propinquior causa est voluntas hominis quam Diaboli.

LXXXVII.

In Diaboli siquidem potestate minimè situm, ut pro beneplacito ac libitu, homines etiam nolentes, obtorto quasi collo abripiat: & voluntatem ejus pro suo arbitratu inflectere, mutare, & ad quodvis impellere possit.

LXXXVIII.

Folleret hæc perversa opinio, tùm ipsam DEI omnipotentiam, imò providentiam: tùm voluntatis humanæ libertatem, quæ etiam post lapsum in rebus mundanis, aliquatenus superest.

LXXXIX.

Indirecta igitur & remotior peccati causa Diabolus esse statuitur, quippe qui per indirectum quasi, & extrinsecus voluntatem hominis, varijs objectis illecebris movet & allicit.

XC.

Idque trifariam: Nam 1. Objectum aliquod, quod humanæ voluntati gratum & appetibile esse novit, proponit & insinuat. 2. Idem & suavitatis & utilitatis nomine miris modis per sua organa atq; instrumenta commendat. 3. tenebras rationi offundit, mendaciaq; suggerit, ut peccato volens homo postmodum consentiat.

XC I.

Hinc Heva in sacris non coacta ad peccandum à Diabolo, sed decepta & seducta fuisse. Gen. 3, 13. 2, Cor. 11, 3. 1. Timoth. 2, 14. David incitatus à Satanâ. 1. Paral. 21, 1. mendacijs deceptus Achab. 1. Reg. 22, 10. legitur.

XC II.

Et Satanæ scriptura non cogendi, non immutandi voluntatem hominis potentiam ullibi tribuit. sed circummeundi. 1. Pet. 5, 8. circumveniendi. 2. Cor. 2, 11. tentandi. Act. 5, 31. 1. Thess. 3, 5. mendacium loquendi, & illud quidem ex proprijs Joh. 8, 44. &c.

XC III.

Altera immediata, directa & propinqua causa est voluntas hominis: aded ut nisi voluntarium peccato, (actuali cumprimis) subsit, jam à naturâ & conditione peccati totum quasi exeat.

XC IV.

Homini igitur voluntas excutiens per peccata contra Conscientiam gratiam DEI, & Spiritus Sancti præsentiam, à DEO sese magis magisque

gisq; avertit, lege DEI repugnat, Satanæq; ductui & suafui obsequitur. Gen. 3, 6. Vidit mulier, &c. & tulit & comedit, Ies. 65, 12. Quæ nolui, elegisti. Matth. 23, 37. Quoties volui te congregare, &c. Sed noluisti. Iacob. 1, 14. Vnusquisq; tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & ille-
sus.

XCV.

Quibus omnibus ita constitutis, rejicimus & damnamus tum philosophorum de causa peccati partim impias, partim imperfectas & multas disputationes: tum veterum ac recentiorum hæreticorum furores.

XCVI.

Inprimis Valentinianorum, qui Indurationem Pharaonis, Exceccationem Iudæorum; traditionem in sensum reprobum & similia, opera DEI esse contenderunt, quæ ita ipse in hominibus efficiat, ut divina necessitate vis quædam homini fiat, quando scelera perpetrat: referente Irenæo l. 4. cap. 47. & 48.

XCVII.

Quam impietatem declinaturus Marcion, in parem incidit impietatem, duo fingens principia, sive duos DEOS, unde in creatione omnia, ac sic peccatum quoq; ortum suum acceperint, teste Augustino de hæresibus.

XCVIII.

Cui blasphemiam subscripserunt Manichæi, qui duos etiam DEOS, bonum atque malum, sunt commenti, quorum ille ex materia bonâ bonum; hic ex mala malum quodvis produxerit: ut testatur vnanimis consensus historiæ Ecclesiasticæ.

XCIX.

Quam ad errantium classem referendæ sunt etiam Calvinistarum *μετεωρολογίαι*, & Astrologorum prognosticationes genethliacæ & judiciaræ, Deum peccati autorem haud obscure constituentes.

C.

Cum enim, quicquid agunt astra, id ex DEO conditore habeant: sanè consequens fuerit, quocumque tandem modo siderum motus & influentia, malorum actionum causa esse dicatur: eodem modo Deum, quippe qui has vires istis indidit, earundem autorem & causam primam constitui.

DEO GLORIA.

4/1935 a

ULB Halle 3
001 541 250



56







DISPUTATIO XXIIII
DE CAUSA PECCATI.

Ex Articulo XIX. Confessionis Augustanae.

ad cujus positiones

DEO. OPT. MAX. Auxiliante

Sub Praesidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theologiae Doctoris, & Professoris publici;

Respondebit

CHRISTOPHORUS HOSERUS
Augustanus.

Mense Majo, horis locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno dñi MDCXCVIII.

